

Bibliothèque numérique

medic@

Géraud, Mathieu - candidat / Mauduyt
de la Varenne, Pierre-Jean-Claude -
président / M. Hunauld - auteur. - An
dysentericis Anodyna ?

1783.

*Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°99*



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0099](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0099)



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ;
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA*,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quartâ mensis
Decembris, anno Domini M. DCC. LXXXIII.

M^o. PETRO-JOANNE-CLAUDIO MAUDUYT DE LA
VARENNE, Doctore Medico, Præside.

An Dysentericis Anodyna?

I.

MEDICAMENTA in variis distincta generibus, prout diversimodè operantur, varia sortita sunt nomina. Quædam cum impetu

* Authore M. HUNAUER, anno 1733.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

foris è corpore sursum deorsumve noxium humorem pellunt; ideò Emerica vel purgantia audiunt. Alia lenitè emolliendo alvum, quasi diluendo tacitè subducunt. Quædam lotium concitant, vel sudore diffuso, quod morbosum est amandant, & sic massam sanguineam depurant. Unum est quod vasa sanguinem continentia deplendo, sicut alia præcedit in curatione morborum medicamenta, ità & his antecedit. Intèr omnia medicamenta, videntur Anodina veluti manus Deorum quæ corpori ægro impositæ ipsum jucundè absque molestiâ levant; si quidè horum natura & virtus dolores, tormina, cruciatus lenire, imò prorsus tollere.

I I.

FI B R A nervosa cùm ità extenditur, ut dissolutionem minuitur, fit doloris sensus eò acrior, quò fibra ruptioni propior. Doloris causa id omne quod talem extensionem excitat. Obstructio, inordinatus spirituum animalium motus, humor acris & rodens, &c..... Sensus is animæ molestissimus functiones lædit, omnium ferè morborum comes, inflammationes concomitans, & quem velut affectæ subsequuntur jactatio, irrequies, vigiliæ, sæpè febris, quandoque etià convulsio, gangræna, crucem ægro figit ac Medico. Tollendis ideò doloribus satagit Medicus sublatâ causâ quantum fieri potest Erethismum solvendo laxatis fibris, concretum humorem resolvendo, motum & materiem distendentem minuendo, lenitis acribus humoribus & iisdem discussis vel eductis.

I I I.

FR E Q U E N S, cruenta mucosæque alvi dejectio, cum dolore; cruciatu & torsione intestinorum dysenteria nuncupatur. Morbo incipiente primùm biliosa est alvus, aut saltem mucosam fundit intestinorum pituitam: dein subpingues fiunt dejectiones sanguine etià plus vel minùs permixtæ: post hæc strigmenta & veluti interiores tunicæ intestinorum prodeunt excrementis cruentis ac purulentis diversimodè coloratis mixtæ. Sæpiùs videntur febris acuta, abdominis tensio, intest-

tinorum ac mesenterii inflammatio. Hujus morbi sedes plerumque intestini pars ea quæ Colon vocatur. Omnis Dysenteria gravis ac difficilis. Citò tollit ægrum, vel ex acuto morborum genere dum chronicus fit eum discruciendo paritèr conficit. Utrovis modo partes affectæ gangrænâ tandèm sphaceloque putrescunt. Dùm epidemicè sævit in castra, exercitus etiam integros funditus delet.

I V.

CAUSA Dysenteriam continens & conjuncta humor acris à depravatâ chylosi ortum ducens, per vasa unâ cum sanguine ad glandulas intestinorum delatus, ibique secretus; qui quidèm mucosior factus & acrior, erodendo venarum oscula aperit & vellicando dolores aliaque symptomata causatur. Hæc verò mitiora evadunt anodynis medicaminibus summoperè demulcentibus, & sanationis spem eorum usus ostendit. Ideò victus ex jusculis farinosis, potus leniens edulcorandis acoribus, diluens emolliendis partibus ultrà tonum tensis, conducunt. Ideò emulsiones, clysmata blandissima, aliaque id genus conferunt. Ideò venæ sectio egregium Anodynum in usum venit, & torminibus cæterisque symptomatis sedandis maximas habet vires. Sanguinis missio copiam humorum arteriosorum & venosorum minuendo, resistantiam vasorum reddit minorem: hinc vasis nimium distentis contractionis exercitium reddit: Et indè secretiones ac excretiones juxtâ naturæ normam promovet. Laudanum in hoc etiam morbo laudatur eo quod dolores obtundit (licèt non sublatâ causâ) Sensorio communi per vim narcoticam obtuso; nam interim nihilominus nonnulli remonentur effectus ex doloris & acrimoniæ sensu oriundi.

V.

IPECACOAHA brasiliensibus, radix dysenteriae sanandæ dicata, in quo morbo specificum perhibetur, vomitum ciet, solida irritat, sanguinis motum & per inferiora humorem Dysenteriae fomittem educit. Ideò cautio habenda & paregorica præscribuntur. Præterea

ubi febris aut inflammatio, tensio abdominis vel dolor immanis adest; aut etiam quando dejectiones mucosae siccioris sunt consistentiae, vel porraceae, virides, æruginosae, ægrotantes in summo versantur discrimine; & hæc Symptomata multo vehementiora usu Ipecacoanhæ evadunt, nec remissiora fiunt nisi Anodynis. Verbo dicam in Dysenteria anodyna medicamina tutamina sunt, undè rectè concludes:

Ergò Dysentericis Anodyna.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius-Franciscus DU CHANOY, Rei Obstetriciæ Professor designatus, è Regiâ Scientiarum Academiâ Di- vionensi.	M. Joannes-Matthæus DE FRASNE.	M. Bartholomæus-Tussanus LE CLERC, Bibliotheca Pra- ficus, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Cas- telletto.
M. Joann-Bapt. BAIGNERES.	M. Joannes-Bapt. JUMELIN.	M. Ludovicus-Gab. DUPRÉ, Serenissimæ Principis Condæ Consiliarius Medicus.
M. Alphonsus-Vincentius-Lu- dovicus-Antonius LE ROI.	M. Joannes-Carolus DE BRO- TONNE,	M. Antonius PETIT, in Horto Regio Anatomæ & Chirur- giæ Professor, è Regiâ Scien- tiarum Academiâ, & Mili- tarium Regni Nosocomiorum Inspector.

Proponebat Parisiis MATHÆUS GÉRAUD, Claromontanus apud Avernos;
Doctor Medicus Remensis, nec-non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ
Parisiensis Baccalaureus. A. R. S. H. 1783.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1783.